



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XXVIII. Dulcis Jonathas isignis typus dulcissimi Jesu, denudati, crucifixi, & in cruce mortui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO XXVIII.  
Dulcis Jonathas insignis typus dulcissimi  
Jesu denudati, crucifixi, & mortui.

*Expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David. 1. Reg. 18. 4.*

I.

**V**ix in sacris literis majorem invenies amicitiam, quâ Jonatham inter & Davidem, qui sese invicem tam tenero ac intimo prosecuti sunt amore, ut propemodum viderentur, quoddam anima Jonathæ, quasi glutino animæ Davidis esset affixa, & in unum compacta; erat enim illorum una mens,

una anima, una voluntas; & ut magis magisque hanc inter se stabili-  
rent amicitiam nunquam delendam, illam non dumtaxat juramento, sed & immolatione victimarum confirmârunt: *Inierunt autem David & Jonathas fœdus. Diligebat enim eum, quasi animam suam, nam expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta usque ad gladium & arcum suum, & usque ad balneum. Cui dulci Jonathæ ob peculiarem in Davidem amorem omnibus sese expolianti vestimentis pro lemmate inscribo: Nihil sibi.*

Reg. 18. 3.

Per hunc Jonatham juxta mentem SS. Patrum & Interpretum rectè Christum Jesum & hunc crucifixum intelliges: Ita Cornelius: *Jonathas typus Christi fuit*, qui, ut palam ostenderet, quàm intensò animam nostram prosequeretur amore, non tantum se ipsum tunicâ ac vestimentis suis in Calvario monte coram innumerâ hominum expoliavit multitudine, sed & semetipsum pro salute nostra voluntariè obtulit in victimam, ah heu quàm cruentam! *Oblatus est, quia voluit, nihil sibi reservans, sed omnia, imò & supremam divini cruoris guttam nobis per quinque Sacratissima Vulnera subministrans, proinde rectè Poëta Christianus:*

Cornel. hic.

Isa. 53. 7.

*Nil sibi: Christicolis pretiosas sanguinis undas  
Plagarum Christus quinque per ora dedit.*

2. VI.

2. Videamus nunc hujus divini Jonathæ in cruce clementiam ac liberalitatem, quomodo per breve testamentum omnia, quæ habuit, nobis in morte sua transmiserit.

Vix in crucem actus est, & mox peccatoribus veniam ac generalem delictorum perdonationem promulgavit: *Pater dimitte illis.* Pro-  
inde rectè Apostolus: *Donans, inquit, nobis omnia delicta, delens, quod*  
*adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tu-*  
*lit de medio, affigens illud cruci.*

Exinde ad latronem pœnitentem conversus, illum liberalitate ve-  
rè regîa heredem regni cœlestis denominavit: *Hodie mecum eris in pa-*  
*radiso.* En non petiit hic latro paradîsum, sed tantum ut Christus in  
regno suo sui dignaretur facere memoriam; verum liberalissimus  
Dominus longè plura ei tribuit, quàm quæ unquam postulare ausus  
fuisse: *Uberior, ait Beda, est gratia, quàm precatio, semper enim plus Domi-*  
*nus tribuit, quàm rogatur.*

Nec Joannis dilecti Discipuli sui inter summos cruciatus oblivisci  
voluit, sed ejus tutelæ sanctissimam Matrem suam, quâ nihil charius  
in vita sua habebat, pro ultima sua voluntate, tanquam pretiosissimam  
gemma custodiendam commisit: *Ecce Mater tua.*

3. Imò nec milites, qui ipsum in crucem egerunt, sine remunera-  
tione abire passus est, quibus pro mercede laboris hic dulcis Jona-  
thas pallium & vestes suas distribuendas reliquit: *Partiti sunt vestimenta*  
*mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.*

Nec Veronica oblitus est, cui sudarium legavit, in quo sacrosan-  
ctam vultus sui effigiem impressit, quod etiamnum hodie Romæ in  
Basilica S. Petri in Vaticano piè asservatur, & certis diebus populo  
Christiano magnâ cum devotione ostenditur.

Quid dico de Nicodemo, qui prius de nocte ad Christum vene-  
rat, & nunc palam Crucifixi JESU discipulum se demonstraverat?  
Huic, inquam, pro suo labore & fidelitate ampullam sacratissimo  
cruore suo repletam legavit, illique in peculiare amoris signum clavos  
& lanceam, aliaque passionis instrumenta reliquit.

Josepho Nobili illi Centurioni, qui eum sepulturæ mandaverat,  
linteamina & sacram sindonem assignavit, in qua totius corporis sui  
plagati formam impressit; quæ Sacratissima Sindon nunc Taurini in  
Sabaudia maximâ cum veneratione asservatur, & summo honore à  
fidelibus honoratur.

Lectulum suum Divinus ille Sponsus, hoc est, durissimam cru-  
cem, in qua Mundum redimere, & mori voluit, S. Ecclesiæ Catho-  
licæ

*Gimther Unus pro omnibus.*

O

licæ

lica reliquit, tanquam ditissimum thesaurum, qui nunc in mille partes divisus, omnes summè consolatur fideles.

4. Verùm pietissime JESU! ubi est dulcissima Mater tua, quæ te hæcenus usque ad crucem & mortem secuta est, quid illi legas, & pro ultima relinquis voluntate? Spiritum, inquit devotissimus Lanspergius, Patri suo cœlesti commendavit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Matri verò sacrosanctum corpus suum, quod ab illa prius acceperat, pro ultimo solatio, ut illud de fatali ligno depositum in maternum suum sinum reciperet, atque à fordibus, sputis & sanguine jam concreto & coagulato ablueret, ac honestæ sepulturæ traderet, reliquit: *Idèd*, ait prædictus Lanspergius, *caput suum versus Matrem inclinavit, quasi ultimum eidem Ave, seu Vale diciturus. Itaque in angustiis, doloribusque tunc constitutus, hoc signo innuit, ac si Matri eidem corpus suum vulneratum, dilaceratum, ac crudeliter nimis dissipatum commendaret.*

Lansperg.  
hom. 52. de  
Pass.

Dulcissime JESU, divine Jonatha, & Amor noster crucifixe! Ergo nihil ampliùs superest, quod nobis, ah indignis creaturis tuis in hoc tuo pauperrimo leges testamento! Ignosce amantissime Redemptor! cum tua bona venia Longinum militem vocabo. Adest hic in tempore, & suavissimum pectus tuum crudeli lanceâ, quasi clavi ferreâ referat:

Jo. 19. 34.

*Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Et quid inde promanavit? Et continuo exivit sanguis & aqua.* O anima Christiana! hic habes omnia à Liberalissimo JESU: *Sicut aqua*, ait apud Psaltem, *effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Jam nihil ampliùs superest; qui nos potuisset redimere primâ sanguinis guttâ, dedit ultimam. O bone JESU! quis hic non miretur infinitam tuam in nos clementiam ac bonitatem?

Psal. 21. 14.

5. Imò nec hic stetit immensa ejus in cruce liberalitas, dum Longino licet immerito non duntaxat corporis, sed & mentis tribuit sanitatem. Ita S. Vincentius Ferrerius: *Longinus, inquit, videre non poterat, an mortuus esset Jesus, quia caligantes habuit oculos, & accepit lanceam suam, & infixit eam in corde Christi, & continuo exivit sanguis & aqua miraculosè, & per hastam decurrens pervenit ad manus militis, & ex contactu visum accepit.* O mitissime JESU! ô dulcis Jonatha! quomodò te non expoliasti, & nihil prorsus tibi reservasti? Et hæc omnia ob amorem nostri? ah quis satis amet te? Et quis audeat te adhuc offendere, & de novo in crucem agere? ah quis? Et tu adhuc ô mi Lector? Absit hoc in æternum à te, & à me.

S. Vinc. Ferr.  
de Pass. Dom.

6. Nec in vita tantùm, sed etiam post mortem hæc inviolabilis amicitia Davidis in Jonathan duravit. Accidit, ut gravissimum bellum inter Hebræos & Philistinos oriretur, in quo Israëlita cum Saul rege cæsi sunt, & Jonathan pariter interfectus, cujus exanime corpus hoites

hostes in alto muro Bethsân in ligno suspenderunt. Audiit hoc David per nuntium, sine mora deponitur corpus Jonathæ de infami ligno, & à Davide multis cum lacrymis in regium sepulchrum inferitur; in cujus honorem David hoc triste carmen cecinit: *Quomodo ceciderunt sortes in pralio? Jonathas in excelsis tuis occisus est? Doleo super te frater mi Jonatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut Mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* 2. Reg. 1. 25.

Vide hic, & considera, quàm tenero amore David suum dulcem Jonatham amaverit. Imitare & tu, anime mi! hoc illustre exemplum, si crucifixum amorem tuum, dulcem tuum Jonatham in ligno pendentem aspicias, ac contemplaris: *Quomodo cecidisti sortis in pralio? doleo super te frater mi JESU! decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut Mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam, & imposterum diligam.*

7. Videtur mihi hæc vera ac sincera fraternitas ac inviolabilis amicitia inter Jonatham & Davidem cum in vita, tum in morte, ut hædera & quercus, vitis & Ulmus, quarum una alteram tam amicè amplectitur, stringit, implicat & ornat, ut non immeritò veræ & sincerissimæ amicitiae symbolum nobis representent. Et licet quercus aut ulmus ob deficientem è terra humorem expallescat, moriatur ac pereat, hædera tamen aut vitis ab illius fraterno & charo amplexu ne utiquam etiam post mortem fratris sui desistit, sed illum ut prius in vita amorosè stringit, ornat & amplectitur. Ideò huic symbolicae fraternitati, inviolabili foedere inter Jonatham & Davidem munitæ prolemmate inscribimus: *Nec mors separabit.*

Ita est: *Nec mors separabit nos à charitate Christi JESU crucifixi.* Audiamus Apostolum: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Rom. 8. 35. Et subjungit, quòd nulla creatura neque in cælo, neque in terra verè amantem possit à charitate Dei separare, quæ est in Christo JESU Domino nostro. Ita est, & ita statutum est.

